



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Christ. Francisci Paullini, Ferrariâ-Thuringi, Rerum Et Antiquitatum Germanicarum Syntagma

Paullini, Christian Franz

Francofvrti ad Moenvm, 1698

Appendix Dabit aliquot diplomata & literas, seriùs accepta, Hist. Isnacens.
illustrantia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44860

& veritas in diebus nostris : sic confabuntur gladii in vomeres , & lanceæ in falces : non levabit gens contra gentem gladium amplius, (n) sed lupi habitabunt cum agnis , & pardi cum hædis. (o) Cuncta siquidem evenient *ἑσχατὸν καὶ κατὰ τάξιν.* (p) Omnis enim salus , omnis tranquillitas , omnis fortitudo & gloria nostra in

PIETATE ET JUSTITIA.

APPENDIX

Dabit aliquot diplomata & literas , seriùs accepta , Hist. Isnacens. illustrantia.

I.

Confirmatio HENRICI III. Imp. foundationis , dotationis & immunitatum Monasterii Reinhardifontani anno M.LXXXVI.

IN nomine S. & Individuæ Trinitatis. *Henricus* , divinâ clementiâ Romanorum Imperator Augustus , omnibus tam præsentibus quàm futuri temporis fidelibus notum esse volumus , Quod in Regno nostro regulare quoddam monasterium situm est in confinio *Loiba* silvæ *Reginherisbrunno* nuncupatum , in honore Sanctæ Dei Genitricis & Virginis Mariæ , Sanctiq; Joannis Evangelistæ constructum honorificè à *Ludovico* , religioso *Comite* , ejusque Coniuge *Adelheida* primum ob spem & præmium vitæ æternæ , ob remissionem omnium peccatorum , ob salutem corporum & sempiternam requiem animarum , ob memoriam cottidianam sui suorumque omnium , Regum quoque & Episcoporum , Principum & omnium ejusdem loci statum & honorem diligentium & defendentium , cunctorumque Christi fidelium , & ut cunctis Christi pauperibus beneficium illic semper pro posse patefiat receptaculum. Igitur ex propriis prædiorum impensis Idem Monasterium *centum quinquaginta* mansis inde circumquaque adjacentibus cum mancipiis utriusque sexûs quampluribus dotando ditavit , prænominata Coniuge , ipsius filiis & filiabus in hoc sibi omninò consentaneis. Et ne unquam à posteris suis Dei servitium deinceps illic deserui possit , constituit , eandem cellam cum omnibus suis pertinentiis , non subdî nec subesse jugo alicujus terrenæ personæ vel potestatis , sed liberam ab omnibus S. Romanæ ascribi Ecclesiæ , Sanctorumque Petri & Pauli habere gubernationem , nec non Romani Pontificis defensionem. Romæ quoque per quintennium Lateranensi palatio ad luminaria concinnanda , decem solidos persolvere , sicq; eam

(n) Es. II. 4. (o) c. XI. 6. (p) I. Cor. XIV. 40.

eam totius libertatis jure & privilegio adaugens omni proprietate & servitio, cum conjugē, filiis & filiabus omnino & fideliter abdicavit, & Abbati *Gisilberto* ejusque successoribus in dispositionem liberam Fratribus Deo sub regula monastica innibi servientibus contradidit ad utilitatem. Adhæc etiam, ut Fratres cœnobii ipsius nunc innibi congregati & adhuc in Christo congregandi tutius ac liberius Domino Deo servire possint, hujusmodi eos libertatis munere donavit, ut quâncunq; Patre suo spiritali orbatu fuerint, ipsi habeant liberam potestatem secundum regulam Sancti Benedicti inter se, vel undecunq; opus fuerit, Abbatem sui ordinis sibi non solum eligendi, sed etiam constituendi. Advocati tutela, quando & ipsa videtur eis necessaria, prædictus Comes sicut ab eisdem Fratribus est electus advocatus, quâmda vixerit, permanebit, & ex posteris ejus, qui idoneus huic dignitati fuerit. Nullus tamen unquam advocatus esse præsumat, nisi quem Fratres communi consilio providerint eligendum. Qui si illorum & monasterii per omnia studeat commoditatibus, diligatur ab omnibus. Si autem avarus, nec illorum commoda, sed sua quærens lucra, habeant potestatem alium sibi eligere, & hunc ex auctoritate Petri & Pauli reprobare. Hic itaque Abbate petente à Rege accipiat bannum legitimum, & ter in anno, si necesse fuerit, ubicunq; vel quando Abbati placuerit invitatus ab illo veniat, & ibi placitum justum pro necessitatibus & causis monasterii ritè peragat, nullum verò aliud servitium, jus aut beneficium sibi per hoc concedi cognoscat, nisi tertium bannum, & consuetudinariam justitiam videlicet super fures, proterviam & cetera talia magisque inde quod præcipuum est, aternam Omnipotentis Dei speret retributionem. Nullo modo nisi Abbate volente & advocate bona & loca monasterii suis frequentis temerariis & sine causa adeat vel attingat, nec præsumtuolus in eis placitum quodlibet vel pernoscandi licentiam habeat, nec *Sub-Advocatum* pro se faciat, nec omnino aliquam calumniam, seu persuasionem monasterio aut familiae faciat. Nos quoque petitioni præfati Comitum & Abbatis *Gisilberti*, qui nunc eidem cellæ *Reginherisbrunn* præest, annuentes, firmiter statuimus, quòd si quispiam posterorum suorum vel quarumcunq; homo personarum unam † unicam, unum mansum, vel saltem unum mancipium, sive tale † vineam aliquid à suprædicta cella temerarius injustè abstulerit, Regiâ auctoritate coactus tria auri talenta ad ararium nostrum persolvat primitus reddito Ecclesiæ, quod invaserat; Si verò quilibet eorum (quod absit) curtim vel aliquam villam † idem violentus quocunq; ingenio abalienaverit, † inde vel hoc testamentum pervertere, vel infringere attemptaverit, decem auri libras ad regiam item persolvat Cameram, primitus reddito, quod ablatum fuerat. Super hæc omnia Comes sæpe dictus Apostolicum privilegium

gium acquisivit, ut libertatis istius & traditionis statuta tanto per - - -
 permaneant. Ut autem prædictæ traditionis & libertatis status &
 omnia prædicta statuta eâ ratione quâ Deo & Sanctis ejus destinata
 sunt, † ab hac die & omni ævo in Christo rata & inconvulsa permaneant,
 † sint hanc cartam testamentariam prædicti Comitum Abbatisque rogatu in-
 de conscribi manûque propriâ corroborantes sigilli nostri impressione jussi-
 mus insigniri.

Hunbertus Cancellarius, viâ Rudhardi Archi-Cancellarii recogno-
 vi. Data V. Id. Aug. anno Dominicæ Incarnationis M.LXXXVI. Indiç. XII.
 Anno Domini Henrici III. Imp. Imperii VI. Regni autem XXIII. Actum
 Mogontie in Christo feliciter.

II.

Donatio Ejusdem HENRICI III. prædii Bifang & Villulæ
 Meginboldensfeld, cum omnibus pertinentiis, cœnobio
 Reinhardifontano facta anno MCIII.

IN nomine Summæ & Individuæ Trinitatis. Divinâ annuente Clemen-
 tiâ Henricus, Romanorum Imperator Augustus, Omnium fidelium tam
 præsentium, quàm futurorum notitiæ commendamus, qualiter Nos Ludo-
 vico Comite supplicante, prædium unum, quod vulgari linguâ dicitur *Bifang*,
 infra marcham villæ *Machtirfedi* situm, primitus illic comprehensum ab
Ernesto Reginherisbrunnensis cœnobii Abbate, seu licentia Comitum, quo-
 rum Comitatus subjacet, seu justitia civium illic habitantium, seu heredita-
 rio jure ceterarum inibi possessionum suarum, eidem loco *Reginherisbrunnon*
 Regiâ nostrâ auctoritate concedentes, stabilitum liberè ad perfruendum fe-
 cimus, quod his lachis concluditur à loco, qui dicitur *Crummilbachesheibit*
 juxta *Hurfilgerichart* usq; ad *Steinirüne*, inde per summitatem montis illius
 juxta occidentalem partem alterius montis, qui vocatur *Nutich in Fischbach*,
 perq; descensum rivi nominati usq; quo se colligit in *Emisam*, itemq; per de-
 cursum ipsius *Emisæ* usq; ad radices montis *Putars*, hinc sursum ad *Wicha-*
chesheibit, hinc per vallem *Habichisdal* usque ad locum, qui dicitur *Phanna*,
 deinde ad *Racisrot in Sultzbach*, inde super *Hurnibuhel* juxta *Tierbocum* in
Crummilbach, hinc sursum ad suprâ dictum locum *Crummilbachesheibit*
 duæ cunque his terminis cinguntur Villula scilicet *Meginboldesfelden* cum
 omnibus suis appendiciis, hoc est, arvis, pratis, pascuis, silvis, venationibus,
 piscationibus, viis & inviis, cultis & incultis, aquis aquarumve decursibus, re-
 ditibus & exitibus, quæsitis & inquirendis, cum omnibus utilitatibus ad
 hæc pertinentibus, his imperialibus edictis prædictum cœnobium pos-
 fidere

fidere perpetuo proprietatis jure absque ullius infestatione vel direptione volumus, jubemus, sancimus ob interventum scilicet Beatae & Gloriosa semperque Virginis Dei Genitricis Mariae, Sanctique Johannis Apostoli & Evangelistae, cunctorumque Sanctorum, quorum illic honor & memoria percelebratur. Et ut haec nostrae concessionis auctoritas magis ab omnibus semper credatur, stabilisque jugiter & inconvulsa perduret, cyrographum hoc inde in testimonium conscriptum, manuque propria corroboratum sigilli nostri impressione signari jussimus. Data VI. Kal. Octobr. anno ab Incarnat. Domin. M. C. III. Indict. XI. anno Domini Henrici Regni XLVII. Actum Mogontie feliciter.

III.

Litterae Ruthardi, Archi-Episcopi Moguntini, de curte Erfurti propè pontem, concessa Monasterio Reinhardifontano, anno MCVIII.

IN nomine Summae & Individuae Trinitatis. *Ruthardus*, Dei gratia Mogontiensis Archi-Episcopus, universorum fidelium, praesentium & futurorum, notitiae commendamus, & intimamus, qualiter Nos, pro adipiscendo consortio laboris & orationis Monachorum, die noctuque Dei servitio devotè insistentium, in monasterio quod dicitur *Reginherubrunno*, juxta *Loybam* silvam situm, constructum in honore S. Dei Genitricis & Virginis Mariae, Sanctique Johannis Apostoli & Evangelistae, eorundem Fratrum spirituali Patri & Abbati *Ernesto* Venerabili, pro pecunia & curti una, quam in nostram potestatem Idem Abbas contradidit, curtim aliam in *Erfhesfurt*, super ripam *Geraha* propè pontem, qui dicitur *Liepuuinubrucha*, eà libertate & justitià concessimus, quā unicuique libero Viro quævis curtis ibidem perfruenda conceditur; scilicet ut tres solidos pro censu villico villae illius, ad usum Ministerii nostri, quotannis ad Missam S. *Martini* persolvat, & de cetero quicquid sui commodi ex eà, ædificando, præstando, mercando, inhabitando, consequi valuerit, liberam potestatem in sempiternum habeat. Et quia indignum & incongruum omninò videretur, ut, quod secularibus Viris, cujuscunq; nationis aut conditionis sint, in illa villa de hac re conceditur, hoc spiritualibus & ecclesiasticis Viris denegaretur, hujus nostrae devotionis concessionem monasterio supra dicto, Monachis, praesenti Abbati, sibi que succedendis, in perpetuum firmam & inconvulsam cunctis permanere temporibus decernimus; ut & veriùs ab omnibus sem-

per credatur, scripto hoc memoriae eam commendantes, sigilli nostri impressione signari iussimus. Si quis autem in futurum, quod absit, hæc nostra statuta irrita facere præsumserit, hujus nostri privilegii & Episcopalis officii auctoritate anathematis & banni vinculis sit innodatus, & æternâ, nisi resipiscat, sit maledictione damnatus. Data anno Dominicæ Incarnationis M. C. VIII. Indictione II. Actum Heilinginstat.

IV.

Literæ ADELBERTI, Archi-Episcopi Moguntini, de Advocacia Monasterii Reinhardifontani, anno MCXXV.

IN nomine S. & Individuæ Trinitatis, Adelbertus Dei gratiâ Mogontienſis Archi-Episcopus, & Apostolicæ Sedis Legatus, omnium tam præsentium, quam futurorum fidelium noticiæ tradimus, qualiter Ernst, Abbas Venerabilis Monasterii S. Mariæ perpetuæ Virginis, Sanctique Johannis Evangelistæ, quod situm est in loco, qui Reginherisbrunnum dicitur, atque Serenissimus Comes Ludewicus ejusdem monasterii Advocatus, pactum in euntes constituerunt, ut idem Comes, & quicumque post eum Advocatus, secundum privilegia Romanorum Pontificum, quæ apud idem cœnobium servantur, electus fuerit & constitutus, pro cunctis, quæ juris sui videntur, duo tantum per singulos annos talenta, unum in natali S. Waltpurgæ, alterum ad festum S. Michaelis à Fratibus accipiat, & de cetero nihil amplius, quam æternæ retributionis præmium experat: non Sub-Advocatum absque consensu Abbatis & Fratrum pro se constituat, nullum placitum super alicujus rei negotio in aliquo ipsorum ditionis loco, nisi forte Abbate petente & Fratibus agat. De furto autem & protervia, cum rei necessitas postulaverit, quando & ubi voluerit Abbas, eodem Advocato præſidente, ritè discussio fiat, & quicquid exinde æquitatis, dicente iudicio, provenire poterit, tertia pars ipsius Advocati, reliquum Abbatis & Fratrum erit. Bona monasterii suis temerariis frequentis non adeat, nullum ex familia, nec eos, qui bona monasterii incolunt, violenter opprimat, vel bona eorum injustè diripiat. Ut ergo nihil horum ex hoc, & in omne præsentis sæculi tempus irritum fiat, Nos per misericordiam Dei, tam Episcopali quam Sedis Apostolicæ legationis auctoritate fulti, facta dictaque banno nostro petentibus illis innodantes, quæ constituerunt, constituimus, sancimus & confirmamus, atque per hujus privilegii nostri paginam, quam manu propria roborantes sigilli nostri impressione signa-

signavimus, rata & inconvulsa esse decernimus. Actum Erpesfurt anno ab incarnatione Dominica M. C. XXV. indictione tertia.

V.

Littera Comitum Orlamundanorum de Vollersroda,
anno MCCCCLI.

Herr Friederich und Hermann / Gebrüdere / von Gottes Gnaden Gra-
fen von Orlamunda und Herrn zu Weimar / bekennen öffentlich an
diesen Brieffe / daß Wir verkauft haben recht und redlich unser eigers
Guth / das Dorff genandt Vollersroda / das da liegt bey Dobrighusen / mit
alle dem / was darat und darzu gehöret / im Felde und im Dorffe / es sey
Weide / Wiesenwachs / und woran das lieget / oder / wie man es nen-
net / was vor Alters zu demselben Dorffe gehöret hat und noch gehö-
ret / und die Hopf-Gärten / die da heißen die Köder / und das Holz / das
etwa Heidenrichs von Roda war / das Holz und die Köder stossen ans
Schickenholz / das da liegt bey Dobrighusen / dem bescheidenen Manne
Herrn Heinrichen von Rudolphstadt / dem Priester / den man nennt vor
Prage / um 34. Schock gemeiner Groschen / die er uns vor Guldten gege-
ben und bezahlt hat / daselbe Dorff mit alle dem / was darzu gehört /
die Hopffgärten und das Holz haben Wir dem vorgenandten Heinrich
geantwortet in seine Gewähr / und antworten Ihms und dem Spittahl
zu Jena in diesem gegenwärtigen Brieffe in Gottes Nahmen und
durch Gott zu einem ewigen Seelgeräthe / daß man Unserer und Un-
serer Vorfahren Seele in dem Spittahle gedencke / mit aller Herrschafft
und Berichte über Hals und über Hand / und nutzen / und mit aller
Rechten als Wirs gehabt haben / vor ein recht eigen / und verzeihen Uns
alles des Rechens / das Wir daran hatten / oder haben solten / und ge-
loben dem vorgenandten Heinrichen und dem Spittahle daselbe Guth
zu gewehren vor aller Ansprechung / als recht ist / zu einem Gezeugniß
dieses / und geben Wir diesen Brieff verinsiegelt mit unserm Insiegel /
das ist geschehen nach Gottes Geburt vierzehnhundert Jahr / dem ein-
und funffzigsten Jahre an dem Montage vor der Heiligen zwölff Botere
Tage / Unser Rede sind Gezeugen die Erbaren Leute zu Ulrich / Unser
Cappellan Gernot / und Nepez von Ober-Weimar / Unsere Richter / Henke
von Bippach / Eberhart Batzirney / und andere gute Leute viel und genug
die das sahen und höreten.

(L.S.)

(L.S.)

LI 3

VI. Dona-

Donatio B. Virgini Isnacensi facta anno 1326.

Ego *Theod.* quondam plebanus novi hospitalis extra muros Isnacens. civitatis recognosco tenore presentium publice protestando, quod, ob reverentiam Dei Omnipotentis & Gloriosæ Virginis Mariæ, redditus & proventus jam infra scriptos, videlicet VI. maldra annona mensuræ Erfurtensis, de tribus mansis & dimidio in campis villæ *Phalendorf* sitis, & VI. maldra avenæ *Sonnebornensis* mensuræ, de uno manso in campis villæ *Metebach* sito annuæ pensionis, propriâ meâ pecuniâ comparavi, ad Collegiatam Ecclesiam B. Mariæ Virginis in *Isenache*, dum de medio sublatus fuero, in salutem & remedium animæ meæ perpetuò pertinentes. Dans & committens Dominis & Canonicis dictæ Ecclesiæ plenam & liberam potestatem ordinandi & disponendi de proventibus & redditibus, prout ipsorum conscientis, nec non salutem animæ meæ videbitur salubrius convenire. Protestor nihilominus, me nunquam fuisse Canonicum in Ecclesia memorata, quâquam ad Capitulum vocatus fui, & locum in choro habui dictorum Dominorum de gratia speciali, & penitus nullo jure. Testes hujus rei sunt Dominus Prior in *valle S. Joannis & Albertus de Glichen*, Monachus Ordin. Cisterciens., *Joann Lusso*, *Albertus de Hollunder*, *Gyselerus de Besa*, & *Conradus* dictus *Sue*, & quâmplices alii fide digni. In quorum evidens testimonium hanc cartam & literam sigillis Domini Præpositi S. Nicolai in *Isenache*, Domini *Dietmari* Plebani S. Georgii ibidem, nec non Domini *Joannis de Luppenze* Archi-Presbyteri, meis precibus obrinui communitam. Quod Nos Præpositus S. Nicolai in *Isenache*, Plebanus S. Georgii ibidem, & Joannes Archi-Presbyter prænotati presentibus publice protestamur. Datum anno Domini MCCCXXVI. in vigilia B. Matthiæ Apostoli.

VII.

Dotatio altaris S. Martini in capella Veteri B. Mar. Virg. anno 1377.

Noverint universi & singuli presentium Inspectores, quod ego *Conradus de Casselle*, (*Dassle*) Presbyter Mogunt. Diocel., ob salutem animæ meæ & Progenitorum meorum, ad honorem Omnipotentis Dei, S. Crucis, B. Mariæ Gloriosæ Virginis, & B. Martini, novum altare, in honorem eorundem Sanctorum dedicatum, in capella veteri Ecclesiæ S. Mariæ Isnacensis situm, duxi dotandum cum redditibus annuis infra scriptis. Primò cum censu trium *marcarum*, quem habeo in prætorio oppidi *Craceborgh*, quemque comparavi

paravi à Magistris Consulum & Consulibus ibidem. Item cum censu *dimidia marca*, quem comparavi à relicta quondam *Alberti Becken* & suis heredibus ibidem in *Crucborck*: item cum censu *unius maldri frumenti Erfurtenfis* mensuræ, sito in *Bischofferoda*. Hos igitur census & redditus Ego *Conradus* prædictus donavi & dono præfato altari & ejus Prioribus pro tempore existentibus cum jure & honore, quibus eos tenui hucusque & comparavi secundum tenorem literarum, super emtione hujusmodi censuum confectarum. Et cum hujusmodi emtiones sint sub forma reemtione per me comparatæ, volo, ut, si qui eorundem censuum reemantur, quod pecunia inde recepta iterum convertatur in similem pensionem de consensu & consilio Decani & Capituli Ecclesiæ S. Mariæ supradictæ. Et sic erit faciendum cum omnibus censibus supra scriptis, quotiescunque se obtulerit calus reemtione. Item volo, quod Decanus Ecclesiæ S. Mariæ prædictæ quicumque pro tempore fuerit, hujusmodi altare, quoties ipsum vacare contigerit, conferat personæ habili, actu sacerdotali, vel qui saltem infra annum à tempore collationis sibi factæ fiat Sacerdos. Et quòd hujusmodi persona sit sub obedientia Decani pro tempore existentis, & serviat dictæ Ecclesiæ in omni forma & modo, sicut alii Vicarii Ecclesiæ ejusmodi. In cujus rei testimonium sigillum meum duxi appendendum. Datum anno Domini MCCCLXXVII. XII. Cal. Septembr.

VIII.

Confirmatio Carthusiæ Isnacensis anno 1381.

IN nomine Domini Amen. Cum ea, quæ geruntur in tempore, de facili evanescent cum eodem, & de gestis hominum etiam laudabilibus de facili emergit dubitatio, nisi causa memoriæ labilis oblivio rerum posteritati auferatur. Hinc est, quòd Nos Fratres *Joann. Castorum* Prior, & *Michahel* Monachus domus *Ovi B. Mariæ* propè Pragam Ord. Carthusiani, auctoritate nobis commissa per Venerabilem Priorem, Dominum *Joannem*, Priorem Monasterii S. Bartholomæi de trisulco, ejusdem nostri Ordinis Generalem Visitatorem, plenam habentem Capituli Generalis ex Apostolica commissione potestatem, --- Visitatores Alamanniæ inferioris, omnibus & singulis, ad quos præsentem perveniant, præsentium intentione publicè profiteamur, quòd novæ plantationis domum *Valli Sanctæ Elizabeth* propè *Isenach*, per Priorem & Conventum Domus Sancti Salvatoris propè Erfordiam dicti nostri Ordinis, (jussu Principis,) ad honorem Dei Omnipotentis, B. Mariæ, S. Joannis Baptistæ, & B. Elizabeth, omniumque Sanctorum, erectam & instauratam, præfatiq; Conventus divisionem, quantum ad sex personarum duntaxat sustentationem, ad datam novam fundationem dirigendam, unâ cum earum portionibus, præbendis, annuisque pensionibus dictas perionas concernentibus, & specialiter tot & tantum, prout in literis

desu-

desuper editis & confectis de verbo ad verbum designantur, datæ sunt & deputantur - - - amplioribus quovis modo, causis veris & legitimis nos ad hæc monentibus, ratificavimus, approbavimus, confirmavimus, & dicto nostro Ordini incorporavimus, & præsentibus, auctoritate nostra prædicta Nobis in hac parte tradita in Dei nomine ratificavimus, approbavimus, confirmavimus & incorporavimus. In cujus quidem confirmationis evidentiam & auctoritatem ampliolem Sigilli nostri Conventus appensione præsentem litteram duximus munitendam. Dat. anno Domini MCCCLXXXI. feria sexta post octavam corporis Christi.

IX.

Bulla Urbani VI. Papæ Ordini Carthusian. data
anno 1382.

ONaldus, permissione divinâ Abbas Monasterii Sanctæ Mariæ Scotorum in Vienna, Ordinis S. Benedicti, Patavienf. Dyacel. universis & singulis, ad quos præsentis nostræ literæ pervenerint, salutem in Domino sempiternam. Literas Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri, Domini URBANI, divinâ Providentiâ Papæ VI. cum ejus vera bulla plumbea in cordulis sericis more Romanæ curiæ bullatas, sanas & integras, non raras, non cancellatas, nec in aliqua sui parte suspectas seu vitiatas, sed omni prorsus vitio & suspitione carentes, per Venerabilem & Religiosum Fratrem Dominum Joannem, Priorem Domus Orti Anglorum, propè Herbipolin Ordini Carthusiens., Herbipolenf. Diæces. præsentatas, Nos cum ea, quâ decuit, reverentia noveritis recepisse, quorum tenor de verbo ad verbum erat iste:

URBANUS Episcopus, servus servorum Dei. Dilectis Filiis Priori Generali & universis Fratribus Ord. Cartusienf. salutem & Apostolicam benedictionem. Sacræ Vestræ religionis auct., sub qua, abjectis mundanis illecebris, devotum & sedulum exhibetis Altissimo famulatum, promeretur, honestis ut petitionibus vestris, illis præsertim, quæ personarum ac monasteriorum & locorum vestri Ordinis utilitatem concernunt, favorabiliter annuamus. Cùm itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, licet Vobis & Ordini Vestro prædicto à Sede Apostolica per ipsius Sedis literas sit indultum, ut ad exhibendas aliquas procurationes Legatis, aut Nuntiis dictæ Sedis, etiamsi hujusmodi Legati essent de latere, aut ad præstanda quævis subsidia, seu

exactio-

exactiones, quocunque nomine censeantur, quibuscunque personis minimè teneamini, & ad id compelli nequeatis per literas dictæ Sedis, ut eorundem Legatorum, etiam si spolientur literæ nostræ, se extenderent ad exemptos, nisi de vestro Ordine ac de hujusmodi indulto plenam & expressam, ac de verbo ad verbum facerent mentionem, tamen quia in hujusmodi literis Apostolicis, quæ modernis temporibus super præstationibus hujusmodi procuratorium Legatorum & Nunciorum dictæ Sedis conficiuntur, tot clausulæ derogatoriæ inferuntur, quod hujusmodi indultum nullatenus vobis prodesse potest, sed quodammodo per easdem literas infringi videtur, pro parte Vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut proinde Vobis super hoc de opportuno remedio dignaremur. Nos igitur volentes vos favore prosequi gratiæ specialis, hujusmodi supplicationibus inclinati volumus, & Vobis, & prædicto vestro Ordini, tenore præsentium, auctoritate Apostolica indulgemus, ut ad dandum, seu præstandum hujusmodi procuraciones aliquibus Legatis etiam de latere, ut quibusvis Nunciis dictæ Sedis, aut alia quævis subsidia, seu exactiones, quocunque nomine censeantur, quibuscunque personis, ut ad contribuendum in procuracionibus seu subsidiis hujusmodi minimè teneamini, neque ad id compelli possitis inviti prætextu quorumcunque literarum dictæ Sedis sub quavis forma, vel expressione verborum jam forsitan concessarum, vel in posterum concedendarum, nisi in eisdem literis nominatim expressa fuerint omnia nomina Monasteriorum Vestri Ordinis suprædicti. Districtiùs inhibentes hujusmodi Legatis & Nuntiis, & quibuslibet aliis, ne Vos super præmissis contra indultum nostrum hujusmodi quomodolibet molestare, aut ad solvendum procuraciones & subsidia, seu exactiones hujusmodi, aut ad contribuendum in ipsis, Vos quoquo modo compellere præsumant, ac decernentes extunc irritos & inanes quoscunque processus & sententias, quos & quas post & contra inhibitionem nostram hujusmodi contra Vos fieri contigerit, seu etiam promulgari. Nulli igitur omninò hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumserit, indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ apud S. Petrum XVII. Kal. Maj. Pontificatûs nostri annò quartò.


Post quarum literarum Apostolicarum præsentationem & receptionem Idem Prior pro se & Conventu suo Nobis humiliter supplicavit, quatenus, cum literas easdem non habeat plurificatas, & si

Mm

eas

eas ex aliquo eventu sinistro perdantur, de facili recuperare non posset, ipsas in publicam formam longè latèque, ubi & quando oportuerit, ostendendam, pio caritate Christi transumi curaremus seu transcribi. Nos igitur Abbas præfatus caritate moti & petitione rationabili ipsas literas Apostolicas de verbo ad verbum per *Magnum Schmich* Clericum Augustin. Not. Publ. infrascriptum fideliter ut fides eis adhibeatur plena, transcribi fecimus & transumi. In quorum testimonium sigillum nostrum præsentibus duximus appendendam. Datum Wiennæ in dicto nostro Monasterio anno Domini MCCCLXXXIII. Indict. VI. Pontificatûs Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri, Domini URBANI, divinâ Providentiâ Papæ VI. anno quinto, Mense April. die XXVII. Horum actorum vel qu. præsentibus Honorabilibus Viris *Magno Lamberto Sluter* de Geldria, Colonienf., *Gerharto de Huyessem* - - - Clericis, *Goëmmano de Confluentia Treverisq.*, & *Henrico de nova Cella Herbipolenf.* diocæf. & pluribus aliis fide dignis, testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

(L.S.)



INDEX